1640

Praelustri, supra laudem Viro,

Constantino Hugenio Zulichemo Eq. etc.

Theod. Graswinckel S. P.

'S RYKS ARCHIEF

Et iam foeliciter Socerorum inter Socios Sede, Sume Superbiam Quaesitam meritis. Habes totâ quod mente petisti. Si dimidium plus toto; Quae hactenus saepe dicenti patri generum mihi filia debes, agnovit iam sese debendi, seriam mutavit. Ni quâ fallimur, aut fallemus Scientes, tum quoque, si quid habent veri vatum praesagia; serio, simpliciter, bona fide, ac prorsus ad intonsi prisciq. Catonis normam, hoc agit, ut ne paterno vi ex ore recursitet illud a Pertundae sacris nominatissimum recantibus, Debes mihi gnata nepotes. Nempe hoc fuit (si quid et hic bene ita memores Servata astra remetimur) cur generum illum voluerit, qui serum veniret in curas partemq laborum. Facturus videlicet ipse a filiae nuptiis avum patrem. Habet Rhodon, habet Saltum, habet quam uxor ret Spartam. Si qua assit, aberit quod opponat famae. Sed ne haec Te coquat cura, aut versat sub pectore fixa, Erit brevi in occursus vestros amplexusq. prona, et docta nudatis melior papillis, quid vim monstret faciatq. matrem. Tunc audies Terulei petulco ex ore;

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

O Tite, si quid ego adiuto, curamve levasso!

Sed datum Thalassioni plus satis. Serviree me vetas: absit, id vel ut me posse velim, nos mihi, non me rebus suetus submittere. Est viri boni sacramentum ferre mortalia. Οὐκ ἔστι τὸ γράμματα τὸ ὑποκουσίον ἀρέσαι. Alia sexagenarius, alia calidus iuventa, et Consule Planco. Sed nec ulla cur velim caussa; cui nihil in animo, aut oculis hoc sit in negotio, quam quod non expedire duntaxat, sed esse necessarium, omitti nec posse nec debere citra noxam, totus sciebam: absolvit ergo me optimi instituti conscia mens, eoq. et secura sui, neq. extra se quippiam quaerens. Illa quae qualisq. fuerit, docebunt, (sodes illas mihi reddendas serva) inclusae, ad Magnarum Tutricum natu maximam desti natae. Cur non et deferendas curarim, caussa fuit quod ex nostro Graphiario vicario DD. Ord: foederati Belgii intellexissem, pacationibus locum patuisse consilys, permississe se rationi Gallorum Regem, sarta tecta omnia Iura partium Auriacarum, nihil innovatum iri, et quae his gemina se suffecerunt, cum in illas quas fovemus spes, exire atq animum relaxare

39

relaxare collibitum est. Ostendet temporis intervallum, fidem me tam auspica-
-tis detulisse nuntijs, nec ad publicandi respexisse denuo consilia, nisi
post detecta toti orbi fraudum cubilia, dolos renudatos. Atque hic
quoque, Summe Virûm,

Nec vos audistis in illis
Crimina, vidistis, pretio quae advecta patebant.

Ipse quid sentiam parum refert. Etiam sine nobis defendetur Ilion. Quià nec tali auxilio tempus eget nec tali defensore, aequissimum est ut nec ego velim ἄδειν τὸ κυλὸ ἆσμα: praesertim ἀκαίρως. Doctus sum, extremae esse dementiae, ubi moliendo multa nequicquam te fatigaveris nihil praeter odium conquirere, praeter invidiam. Ἐν τοῖς ἐχθροῖς πάσιν ἐπαναπαύεσθαι βλαβερόν. Dicere licebit semper, si Pergama dextra defendi possent, etiam hac etc. Quod me ex bile mota non biliosum judicare dignatus es, gratias ago. Commotiorem fuisse non diffiteor, qui ex datis ad me iteratò literis, illatae mihi injuriae contumeliam super additam visus ~~mihi~~ eram deprehendere. Ut mores hominum quoque habes perspectissimos, ὁ πρᾶος ταραχθεὶς μικρὸν σφοδρότερον παροξύνεται. Nec deprecor si quid humanitus mihi acciderit; eo tamen religiosissime adservato, si quà parum egisse placide, si quà peccasse in excessu videri possim, stare pro me affectum, in Augustae Domus bonum sic nunquam non prorogantem, et ut ut parum validum, nunquam non pium. Addam, quod et sit ex traduce, mihique non deponendus, nisi cum supremo animam exhalantis spiramento. Quare et pro re proque materia dolere me posse statue, meum decus, posse eidem non incumbere; ut ulterius, quam rectae rationis dictamen ferat, indulgeam ei, nec a me quidem impetraturum esse me met ipsum. Si qua Machaoniam manum adhibendam putas, nec hic habes dissentientem. nisi quid molestiam tibi creandam ab hoc homine reformidas; qui, cum nec Varo nec Tucca digna proferre evaleat, (Arcadicum ad morem musicastrorum, quos obolo ad canendum concitaveris, ad tacendum ne minâ quidem) audet stridere, et argutos inter strepere anser olores. Sistit se cum his meus ad Lusitanum Theatinum libellus, quo par est obsequio, incomparabili se Hugeniorum pari advolvit. Felicissimo quidem patri, qui tantum orbi filium dederit, Phoenicem sic ex, atque à paternis cineribus, (serus tamen in coelum ut redeat voveo) exhibiturum; filioque, qui (nisi quod uni patri meritorum laude praeferri prae modestia recusat) iam nunc, tantum cum supersit aetatis, summus est, et sublimi feriens sydera vertice. Sodes, reddat ille vobis otii nostri qualem qualem rationem, quod, si et vostrum utrique, nec segne esse, neque inglorium,

neque

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5645

atque a statione quam tuetur alienum ~~esse~~ id indicaverint, erit quo nomine mihi gratuler serioque gaudeam. Brutus Quevedonis, a me ex Hispanico latinitate donatus, brevi, (sit ut spero) ut alicujus apud vos in vestris bibliothecis admissionis sit, orator accedet. Dordraco Prid. KAL. MAIAS CIƆ IƆ CLX

Tum quo solenni se firmet epistola verbo,
Qui mihi das recte posse valere, Vale.

40

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5645

Saumaize,

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5645